

aut carere dolet. 4. Enimvero, qui parebit Deo ut Domino, qui futura non sperat aut exspectat? Qui sperabit futura vel expectabit, qui presentia timebit amittere? vel potius sperabit, se posse retinere, vel omnino solidum gaudium ex eis sperabit? Nunquam illi, qui ita animatus fuerit, materia *γογυσμῶν καὶ διαλογισμῶν* deerit, quo minus Deo obtemperet. Ne desit exemplum. Christianorum officium indicat Johannes 1. ep. c. 3. 16. *Debemus pro Fratibus animas ponere.* Quis Christo hic parebit, qui non credat, animam, qui perdiderit, invenire; qui servaverit, perdere? Quis hoc credet, qui putet, vitam hanc esse aliquid? Denique, ne sine causa multi simus, lætitia spiritualis in nemine ad aliquam maturitatem plenitudinemque ac statum perveniet, quamdiu quicquam solidi in hisce rebus imaginabitur. Quid autem est Christiani hominis & Filii Dei in eo, in quo nec fiducia in Deum, nec desiderium verorum ac æternorum bonorum, nec fides, nec spes, nec obsequium Dei, nec lætitia illa stabilis ac divina est? Has igitur ob causas à spiritu sancto per Solomonem, Regem ut sapientissimum ita opulentissimum, tanquam locupletissimum testem, hic liber Ecclesiæ propositus est: quo ut animos hominum ad timorem Dei, (eo enim omnia illa Filiorum Dei bona continentur) pararet, demonstrat, omnia presentia esse vanissima. Hoc argumentum, hic scopus, hæc summa est totius scripti. ad quod scriptum tanquam ad purissimum speculum, in quo omnis mundi bonitas sine fuce exprimitur, ad certissimam obrusam omnium studiorum ac votorum, & ad saluberrimam medicinam recurrere habent, quotquot ullâ cupiditate in hoc seculo tentantur. Nos brevi analysi, & verborum necessaria expositione, per Dei gratiam, meditationis uberioris portam studiosis pietatis aperire annitemur. Quod ad modum resolutionis attinet, observandum illud unicè est: Non per epicheremata, plenos & omnibus partibus absolutos syllogismos, sed per *ἐνθυμήματα* pleraque sapientum dicta proponi. Quare ante omnia scopum, deinde thesin aliquam principalem esse ponendam, atque deinceps medios terminos distinguendos ac comparandos, & vel ad principalem thesin, vel ad confirmationem aliorum argumentorum, vel etiam ad certas classes atque familias rationum referendos esse, prout iudicium Logicum ostenderit inter ipsos convenientiam vel discrepantiam & ad concludendum princi-

princi-